



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Moralis

Antehac ex probatis Auctoribus breviter concinnata

Busenbaum, Hermann

Coloniæ Agrippinæ, 1707

Q. 203. Quid agendum sit, si duo SS., quorum festa incidunt in diversa tempora, sint Patroni æquè principales ejusdem Ecclesiæ.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42600

tali Ecclesiæ, Neuss. Gob. t. 3. n. 696. app. 4. litt. h.

Q. 203. *Quid agendum sit, si duo Sancti, quorum Festa incidunt in diversa tempora, sint Patroni aequè principales ejusdem Ecclesiæ.* R. Casus potest esse hic, si aliqua Ecclesia sit consecrata æquè principaliter sub invocatione S. Andrea & S. Iacobi, an de utroque suis temporibus dici possit Officium cum octava. Pro parte negativa est, quòd Rubricæ permittant unum tantum principalem celebrari, nam Gav. in Rubr. Breviarii f. 3. c. 12. n. 3. ait, *dantur plures Patroni loci &c. è quibus unus debet esse principalis, alii minùs principales.* item n. 6. *si Patroni plures seu Titulares concedantur..... Officium quidem singulorum duplex erit, sed octava non conceditur, nisi Festo principalis Patroni & principalis item Titularis Ecclesiæ.* Eadem habet Arnaudus in thes. Sacror. rituum t. 2. p. 1. t. 12. à pag. 336. item Quart. apud Pasq. de Sacrif. q. 258. Sed videtur dicendum, quòd licet ordinariè unus tantum sit principalis Patronus, possint tamen esse plures, Gav. enim l. c. addit, *titulus Ecclesiæ solet esse unicus, sed tamen potest esse etiam plurium SS., ut apud nos Romæ SS. Blasii & Caroli, in quo duo Festa celebrantur.* Similiter Pasq. n. 5. dicit posse esse plures Patronos principales: & n. 8., si plures sint Titulares æquè principales, posse de pluribus fieri Officium cum octava: unde Romæ, inquit, *in nostra Ecclesia celebratur duplex festum 1. classis, utrumque cum octava, duorum Titularium, nempe S. Andrea Apostoli & S. Sebastiani: non enim est ratio, cur de uno celebraretur & non de altero.*

Major difficultas est, an utroque Festo sint in templis Societatis JESU Indulgentiæ plenariæ, nam vi Bullæ Pauli V., quæ habetur in Supplem. Instit.

1262

1263

stit. pag. 19. , nostra templa habent Indulgentias plenarias in Festo invocationis : Ratio dubitandi est, quia *Paulus V.* concedit in Festo invocationis & non in festis: deinde quia Bulla habet, *volumus autem, quòd si aliàs Christi fidelibus dictas Ecclesias visitantibus aliquam aliam Indulgentiam perpetuam concesserimus, presentes nulla sint.* Sed videtur dicendum, quòd utroque Festo habeantur, quia est eadem ratio de singulis: ideo autem dicitur *Festo* quia ordinariè est unicum, de cætero intelligi potest, vel Festo Titularis unius vel Festo Titularium multiplicium: ex quo etiam patet ad rationem alteram, nam si sit duplex Titularis, censetur una concessio: notatque *Pelliz.* T. 2. tr. 8. c. 5. n. 259. particulas illas, aliquam aliam Indulgentiam concesserimus, non intelligi, si Indulgentiæ alterius rationis sint concessæ etiam ab eodem Pontifice.

1264 Q. 204. *Quid observandum sit circa translationem Festorum eodem die occurrentium.* R. Seqq.

§. I. Transferuntur sola duplicia, semiduplicia, quædam Dominicæ, Vigiliæ incidentes in Dominica, quæ in Sabbato anticipantur. Et si transferri possit, debet illud Festum transferri, quod est minus dignum; hoc autem colligitur, vel ex diversitate classis, vel, si sint in eadem classe, ex ordine, qui est in litaniis; tamen Sancti veteris testamenti sequuntur post Apostolos, *Gav.* Et ad rem non facit, quòd unus sit Vir vel Sacerdos, alter vidua vel laicus.

1265 §. II. Dedicacioni Ecclesiæ cedit Festum Patroni & Titularis, *S. Th. Gav.* Item Festum SS. Petri & Pauli, *Gob.* in Exp. t. 3. n. 696. app. 3., ubi litt. h. dicitur Festum SS. Apostolorum debere haberi die sequente, commemorationem autem S. Pauli alio insequente, eò quòd Ecclesia priùs fieri vellet de S. Petro, sed *Gob.* in hoc contradicit.

§. III.